

non impedire autem non est influere physice in illum effectum, sed solum poterit esse moralis influenza illa si deberet, et teneretur impedire, sic enim ratione talis debiti ille effectus moraliter pertinet ad se, et præsumitur velle illum, quia debebat, et obligabatur impedire. At vero omissio non dicitur sequi per accidens ad voluntatem, quasi sequatur mediante aliquo, quod nec mediate sit a voluntate, sed mediante aliquo actu a voluntate elicitio, ratione cuius omittit alium. Et ideo licet dicatur illa omissio esse per aliud, id est, per actum ad quem sequitur, melius tamen dicitur esse mediate per se a voluntate, quia per se est in voluntate illius non agere hoc ipso, quod est in potestate ejus divertere, et non alium actum facere. Ad id vero quod dicitur, effectum ad extra esse necessario connexum cum omissione, dicemus dubio sequenti: non enim est connexio simpliciter, et absolute, sed ex suppositione alterius causæ influentis, et non impeditæ per voluntatem.

XLVIII. Ad primam confirmationem respondetur, quod omissio reddit oppositum actum involuntarium non positive et contrarie, sed privative; aut negative, quatenus omissio est cessatio actus, et consequenter privat illo voluntatem, et ita redditur involuntarius privative, quia non est a voluntate mediante privatione, et cessatione illius. Ad hoc autem non requiritur, quod expellatur actus ille a voluntate, vel in illa præexistat tamquam in subjecto, sed sufficit quod voluntas cesset, seu non eliciat illum ut reddatur involuntarius privative, hoc est privatum a voluntate; sicut ut dicatur aer privatus luce non requiritur, quod lux expellatur, vel præexistat, sed sufficit, quod aer producat sine luce, cum posset produci cum illa.

XLIX. Ad secundam confirmationem respondetur, quod omissio remoto præcepto dicitur voluntaria, quatenus a voluntate est; erit autem bona, vel mala secundum conformitatem, vel deformitatem ad præceptum, vel consilium, quamvis ex omissione consilii non dicatur mala, sed solum minus bona, quam consilium; semper tamen in individuo erit bona, vel mala determinate ex fine, vel aliis circumstantiis, quæ cadunt sub præcepto vel consilio, licet inde non sumatur ratio voluntarii, sed quia a voluntate est.

RESOLUTIO TERTII DUBII.

L. Circa tertium dubium, quod est de effectu, seu eventu secuto ex omissione, an requiratur præceptum, seu obligatio, ut dicatur voluntarius indirecte, est etiam duplex sententia. Quidam enim tenent, effectum secutum ad omissionem posse esse voluntarium, etiam sine aliquo præcepto, quorum fundamentum fere reducitur ad id, quod diximus dubio præcedenti; quia non potest assignari disparitas inter ipsam omissionem, et effectum ex illa secutum, cur illa possit esse voluntaria sine præcepto, et ipsa sic existente voluntaria, non possit communicari hoc voluntarium effectui inde secuto, cum talis effectus connectatur cum illa omissione: vel quomodo præceptum faciat influentiam moralem voluntatis ex eo solum, quod datur debitum, et obligatio impediendi, ipsa vero potestas impediendi quando potest impedire, et advertit, et non facit, non sit sufficiens influxus moralis, solum quia non tenetur. Et declaratur antecedens, nam in primis utrumque, tam omissio, quam effectus sequuntur per accidens ad vo-

luntatem, seu per aliud, omissio quidem per alium actum, effectus vero per aliam causam externam, sicut naufragium mediante tempestate fit directe, indirecte autem ex absentia gubernatoris. Similiter remoto præcepto talis effectus consecutus indirecte provenit a principio intrinseco, scilicet a voluntate; per se enim sequitur effectus hoc ipso, quod iste omittit: sicut ex eo quod vult exire e domo per se sequitur, quod non audit sacrum, quod non succurrit pauperi, et ille moritur; non subvenit navi periclitanti, et submergitur: ergo sufficienter illi effectus sunt a voluntate hoc ipso, quod a voluntate est omissio, cum qua connectuntur, etiam si non sit præceptum, dummodo adsit advertentia quando sic omittit. Denique, quia præceptum non est minus intrinsecum principium respectu omissionis, quam respectu effectus secuti, in quo nihil intrinsecum ponitur per præceptum: sed ideo dicimus non dependere omissionem a præcepto, ut sit voluntaria, quia præceptum extrinsece se habet respectu voluntatis: ergo eodem modo se habebit respectu effectus secuti, quod erit voluntarius talis eventus independentem a præcepto, hoc ipso quod sequitur ex omissione voluntaria, quia tale præceptum extrinsecum illi est.

LI. Alii oppositum tenent, et existimant necessarium esse præceptum, ut effectus secutus sit voluntarius indirecte, quando non est volutus per se, et directe, sed solum secutus ex omissione, aut concomitans omissionem, licet alias ipsa omissio voluntaria, aut voluta sit. Itaque non influit omissio agendi, aut volendi aliquid in effectum concomitantem, aut secutum ex vi voluntatis omittentis, nisi alias pertineat ad voluntatem illam talem effectum impedire, quod utique non per-

tinet, nisi talis voluntas habeat obligationem impediendi, quod pertinet ad præceptum.

LII. Hæc sententia videtur sine dubio esse D. Thomæ eamque a fortiori sequuntur omnes, qui etiam obligationem, aut præceptum requirunt, ut ipsa omissio voluntaria sit, magis enim talis obligatio requiritur, ut effectus sit voluntarius, quia magis extra voluntatem est, magisque requiritur obligatio, ut ad voluntatem pertineat, ab eaque dicatur causari. Sensus D. Thomæ sumitur ex hac quæstione VI, articulo III, ut supra ponderatum est, cum dicit: « Quod id quod sequitur ad defectum actionis (id est, ad omissionem) non reducitur in agens, tamquam in causam, nisi tunc solum, quando potest, et debet agere. » Sed reduci in voluntatem ut in causam, est esse voluntarium: ergo tunc solum effectus secutus ex omissione voluntarius est, et a voluntate procedere dicitur, quando potest, et debet agere, debere autem agere est teneri, seu obligari.

LIII. Fundamentum hujus sententiæ sumitur, tum a posteriori, tum a priori. A posteriori ex aliquibus exemplis, in quibus apparet non censeretur effectus omissionis voluntarios, quia non est obligatio impediendi illos. Nam in primis, Deus permittit peccata, et indurat cor non immittendo malitiam, sed non impertiendo gratiam, ut inquit S. Augustinus, quod est ex omissione, seu negatione efficaciæ auxilii sequi peccata, cum tamen Deus advertat, et cognoscat, quod si daret illud auxilium, evitaretur peccatum; illa autem peccata sic secuta non sunt voluntaria Deo, si quidem Deus omnino adversatur peccato, nec ab ejus voluntate derivari potest, nec in illud influit, licet sit causa entitatis, quæ est in actu peccati, eo quod deformitas, seu defectus non

sequitur ad illum actum, quatenus entitas est, et a Deo participatur, ut a causa efficiente, sed quatenus est a creatura, ut a causa deficiente. Nec solum dicimus, peccata non esse Deo imputabilia, sed nec etiam voluntaria, quia non solum negamus Deum esse auctorem peccati ex eo, quod Deus non peccat, nec illi imputatur, sed etiam quia non causat, nec influit voluntas ejus in peccatum, quantumcumque Deus ipse non peccet; ergo peccata non sunt illi voluntaria, quia non sunt ex influxu voluntatis ejus: et tamen potest impedire illa, et non impedit, etiamsi advertat: ergo non sufficit ad rationem voluntarii in effectibus secutis ex omissione, quod aliquis advertat, et possit, et omittat, si non tenetur.

LIV. Addo, quod non solum in omissione, sed etiam in ipsis actionibus, effectus per accidens secuti non sunt voluntarii, nisi interveniat obligatio ad evitandum talem effectum; ergo a fortiori effectus secuti ex omissione actionis non erunt voluntarii sine præcepto: multo enim minus influit ommissio impediendi in effectum secutum, quam actio operandi in effectus, seu opus aliquod sequitur per accidens ad talem actionem; ad omissionem enim semper se habet per accidens, non interveniente obligatione. Antecedens probatur multis exemplis, verbi gratia in muliere ornante se decenter juxta suum statum, et tamen videt aliquos inde incitari ad concupiscentiam, non tenetur omittere ornatum, sicut nec attenuare pulchritudinem naturalem, quæ multo magis incitativa est, aut recludi domo, ne ab aliis videatur, Similiter qui urgente necessitate petit mutuum ab usurario, quæ videt peccatum in exigendis usuris, aut qui petit sacramenta a paroco, quem videt in peccato administratum, et non

habet alium, a quo commode petat. Tales non sunt voluntarii in illis peccatis inde secutis, solum quia non habent obligationem evitandi illa, sed utuntur jure suo. Denique confessarius, et medicus, qui ex auditione confessionis, vel ex applicatione medicinæ sentiunt naturalem commotionem carnis, non tenentur relinquere illa ministeria quando necessaria sunt, sed solum non consentire, quia hoc solum est in potestate voluntatis. Et multa similia exempla multiplicari possunt, in quibus effectus secuti per accidens non sunt voluntarii, quia non tenetur quis evitare illos, sed utitur jure suo dando operam rei licitæ, quam semper intelligitur dare quoties utitur jure suo, quia ad rem illicitam non datur jus. Et in hoc fundatur illa communis regula, quod si aliquis dat operam rei illicitæ, id est, sibi prohibitæ, etiamsi adhibeat diligentiam, si sequatur damnum imputatur illi, quia scilicet hoc ipso, quod dat operam rei illicitæ, id est, quæ sibi prohibetur propter periculum damni secuturi, non utitur jure suo, et sic damnum secutum censetur illi voluntarium ratione talis prohibitionis, et præcepti. Romoto autem præcepto, non censetur voluntarium.

LV. A priori autem sumitur ratio istius sententiæ ex differentia sæpe tradita inter omissionem, et effectum inde secutum, quia ommissio causatur ab ipsa voluntate hoc ipso, quod elicit alium actum incompossibilem cum tali volitione, hoc enim ipso sequitur cessatio, et ommissio talis actus, sicut ad generationem sequitur corruptio, et desitio alterius formæ. Itaque ad omittendum, et cessandum ab uno actu non indiget voluntas alia potestate, nec alia causa, quam se sola, quia potest agere, et non agere per se solam, sive illud non agere intelligatur suspendendo

omne actum, sive ad alium divertendo. Effectus autem, qui sequitur posita omissione, non sequitur immediate ex sola omissione, nec ex sola potestate voluntatis, quia modo non loquimur de effectibus, qui directe causantur a voluntate, sed indirecte, et solum ratione omissionis, quia omittit impedire aliquam causam, ex qua sequitur effectus, supposito quod non est impedita, sicut ut navis submergatur ex absentia, et omissione gubernatoris debet intervenire alia causa, scilicet tempestas, quæ naufragium faciat, non sola voluntas, aut potestas gubernatoris: et ut aliquis occidatur ex omissione succurrendi, debet intervenire alia causa præter voluntatem omittentis, scilicet occisor. Quare nec ipsa ommissio influit in effectum indirecte secutum, quia ommissio est negatio sola, nec potest physice influere in illum effectum positivum: nec etiam ipsa voluntas positivo, et physico influxu in talem effectum, quia non est directe ab ipsa voluntate, sed solum indirecte, quatenus omittit impedire illam causam, quæ talem effectum operatur: et sic removetur omnis influxus physicus ad talem effectum, tam ab omissione, quam a voluntate. Oportet ergo, quod ut talis effectus reducatur ad voluntatem, et dicatur esse ab illa, et voluntarius illi sit, interveniat aliquis influxus moralis, seu æquivalens illi, in quantum talis effectus incipit pertinere ad istam voluntatem, et est debitus illi, seu potius est debita illi cura impediendi talem effectum: hoc enim ipso ommissio impediendi reputatur pro volitione contraria, quia nemo præsumitur nolle implere debitum suum, nisi magis velit oppositum, et sic moraliter censetur esse voluntarius ille effectus interveniente debito, seu obligatione dicta: sed tamen ut ipsa ommissio vo-

luntaria sit, non indiget voluntas nisi tantum suspensione sui influxus, divertendo ad alterum actum, quia immediate in potestate ejus est agere, vel non agere.

LVI. Dices: Aliquando effectus ad extra per se, et necessario connectitur cum omissione sine interventu alterius causæ, ergo saltem tunc ille effectus erit voluntarius sine præcepto, et obligatione. Antecedens probatur: nam ex eo, quod quis omittat exire domo, etiam nulla alia interveniente causa, infallibiliter, et necessario sequitur quod non audiatur missam in ecclesia, quod non succurrat pauperi, vel loquatur amico ibi existenti, et multa alia similia. Et ex eo quod Deus negat auxilium efficacis gratiæ, infallibiliter sequitur peccatum: ergo aliqui effectus sunt immediate secuti ad omissionem sine interventu alterius causæ; ergo tales effectus erunt voluntarii etiam sine præcepto.

LVII. Respondetur quod istæ negationes ita connexæ, et immediate consecutæ ad ipsam omissionem non ponuntur in numero eum illa, sed comprehenduntur nomine ipsius omissionis, eo quod virtualiter in illa continentur, et eadem negatio: quæ negat unum, extenditur virtualiter ad negandum alteram, sicut negatio exeundi domo, aut movendi se e loco habet sibi adjunctam negationem existendi in alio loco, et consequenter negationes faciendi, aut patiendi ea, quæ ad alium locum pertinent. Unde moraliter censetur eadem ommissio non exire domo, et ommissio existendi in alio loco tunc, verbi gratia in ecclesia, et sic tales omissiones licet physice distinguantur propter diversas res, seu formas negatas, tamen moraliter censentur una ommissio, et tam voluntaria est una, sicut alia, eo quod una virtualiter involvit aliam, et sic hoc ipso quod voluntas sufficit se